



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Bono Sodalitatis Partheniæ, Et Officiis Sodalitatis Erga Deiparam Patronam

Bourgeois, Jean

Antverpiæ, 1622

Cap. 26. Sodalitas, & cultus Deiparæ indicium est diuinæ
prædestinationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48699)

CAPVT XXVI.

*Sodalitas, & Deiparæ cultus, indicium
est diuinæ prædestinationis.*

Quodcumque vitæ genus atque institutum sit complexus Sodalis, ei certè in Deiparæ cultu, & Sodalitatis institutorum obseruantia perseuerandum est; cùm nullam suæ salutis certio-
notam, diuinæque electionis tesseram a-
pertio-rem habere queat, quàm suum hūc erga Sanctissimam Dei Matrem ex-
imia pietatis affectum. Nemini quidem absque speciali Dei reuelatione, vti de-
finit Tridentinum, suæ salutis ac præ-
destinationis certitudo contingit; tamē
signa quædam atque indicia colligun-
tur, quibus in illius spem propè cer-
tam adducamur. Quando, inquit Ber-
nardus, sine testimonio electos suos de-
ferat Deus? aut quænam eis poterit esse
consolatio inter spem & metū fluctuan-
tibus, si nullum omnino electionis suæ
testimonium habere merentur? Nouit

Sess. 6. c. 12.

*Serm. 2. in
Ost paschæ.*

Dominus qui sunt eius, & solus ipse scit,
 quos elegerit à principio. Quis verò scit
 hominum, si est amore dignus, vel odio?
 Quòd si certitudo nobis omnino nega-
 tur, numquid non tanto delectabiliora
 erunt, si quæ fortè electionis huius si-
 gna possimus inuenire? Sanè quo occul-
 tiora, eo delectabiliora, quoque maioris
 rei, quæ certè est omnium maxima, eo
 maiore studio omnia illius vestigia &
 indicia peruestiganda. Hæc Bernar-
 dus ad extremum sermonis tribus illis
 capitibus includit: Si contines à pec-
 catis, si dignos agis pœnitentiæ fructus,
 si facis opera vitæ. Quorum trium exer-
 cendorum quàm amplam ac frequen-
 tem suis legibus atque institutis Sodali-
 tas oportunitatem tribuat, non est ob-
 scurum. Sed alia propria ex ipso Deipa-
 ræ cultu, deducenda sunt. Atque imprimis
 Mater electorum, Mater viuētium,
 Mater misericordiæ, vita, spes nostra,
 Deipara nuncupatur, Mediatrix ac re-
 paratrix generis humani secundùm ac-
 per filium Saluatorem, cui sit addita co-
 mes in ea reparatione, vt primo parenti
 Adamo

Adamo in ruina & lapsu fuit adiutrix atque impultrix Eua infelicissima. Quare uti per Adamum & Euam interijimus, ita per Christum & Sanctissimam eius parētem Mariam instauramur. Neque improbanda complurium Theologorum ea sententia, quæ prædestinationem nostram & electionem de communi perditionis massa, primorum parentum peccato damnata, factā imprimis per Christi Domini nostri merita, tum per Beatæ quoque Marris preces, asseuerat: habitam rationem à Deo tum meritorū Christi Domini, tum Sanctissimæ quoq; Matris eius orationum, quæ tum in illius cōspectu ab ipsa primitus æternitate versabantur. Subsidia sanè gratiæ congruæ & efficacis, quibus æternam salutē electi consequuntur, & optatum perseverantiæ donum attingunt, à clementissima Matre suis obtineri ac conferri clientibus haud dubium videtur: atque ea præcipuè causa est nostræ aduersus eam confidentiæ, cur in eius materna beneuolentia ac bonitate plurimū spei reponamus, quòd, quā est in suos clementiā, perget

porrò magnam vim subsidiorum gratiæ excitantis & adiuuantis à Salvatore filio, cùm erit opportunum, efflagitare. quæ Saluator vltro etiam deferat, pro ea, qua aduersus amantissimam Matrem pietate & obseruantia ducitur, deprecantem pro seruis Matrem numquam omnino Deus filius repellet: ipsa verò benigna Mater, si piè perseueranterque fuerit inuocata, deprecationem ac gratiam suam interponere numquam intermitteret. Quod sanctus ille Propheta Sa-

1. Reg. 12.
23.

muel aiebat Hebræis, tametsi in eum extitissent ingrati atque infensi, *Absit à me hoc peccatum in Dominum, vt cessem orare pro vobis, & docebo vos viam bonam & rectam. Igitur timete Dominum, & seruite ei in veritate, & ex toto corde vestro: id cultoribus suis multò cumulatiùs præstabit indulgentissima Mater misericordiæ, dux illis in hoc itinere cælesti præitura, & optima planè morum virtutumque magi-*

Prou. 8. 34.

stra. Beatus, inquit, homo qui vigilat ad me, & obseruat ad postes ostij mei: qui me inuenit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino. habet in vltis vitam ipsam, &

vita

vitæ fontem largitoremque Deum hominem effectum: habet ipsam salutem Iesum Saluatorem, ipsam misericordiam nostram. S. Augustinus in extrema illa verba psal. 58. *Deus misericordia mea*, Non inuenit impletus bonis Dei quid appelleret Deum suum, nisi misericordiam. O nomen sub quo nemini est desperandum! &c. exclamat. Quid ni de Matre misericordiae, Matre diuinæ gratiæ commemorare liceat? ô nomen sub quo nemini desperandum! cum eam præsertim totâ vna misericordia vindicarit; non, vt in filio iudice, suas quoque partes sibi iustitia reseruarit. Quæramus, inquit Bernardus, gratiam, & per Mariam quæramus: quia quod quærit inuenit, & frustrati nō potest. Nec in nobismetipsis, nec ijs in locis, quibus deperdita fuerit gratia cōperietur, sed apud Deum. At Mariæ ait Archangelus, *Inuenisti gratiã apud Deum*. Inuenta Virgine Maria, inuenitur omne bonum. Qui illam diligit, diligit vitã: & qui vigilauerit ad illã, amplectetur placorẽ illius; siue, vt alij vertunt, malaciam *Idiota.* illius, summam conscientiæ pacatissimæ
 quie-

quietē, & instar placidi maris serenitatē.
 Quæ de consequendæ salutis rationibus
 ac notis vna præstantissima est. Quare

In speculo.

D. Bonavent. Clamaui in angustia ani-
 mæ meæ, & tu serenasti tranquillitatem
 conscientiaæ meæ. Idem docet nos ean-
 dem appellare, quomodo coniugem suâ
 Saram Patriarcha Abraham compella-

*Gen. 22.
 13.*

bat: *Dic obsecro, quòd soror mea sis, vt bene
 sit mihi propter te, & viuat anima mea in
 gratiam tui.* Virgo Maria, inquit Bona-
 uent. ô Sara nostra, dic obsecro, quòd
 soror nostra sis, vt propter te bene nobis
 sit à Deo, & ob gratiam tui viuant animæ
 nostræ in Deo. Dic, inquam, charissima
 Sara nostra, quòd sis soror nostra, vt pro-
 pter talem sororem Ægyptij, id est, dæ-
 mones, nos reuereantur, & Angeli no-
 bis coniungantur; insuper Pater, Filius,
 & Spiritus sanctus, nostri misereantur.
 Dic agedum, ô Domina nostra Sara, non
 modò quòd nostra sis soror, sed quòd
 mater sis, mater spiritu membrorum v-
 nigeniti filij, mater adoptione atque ele-
 ctione tuorum clientum, qui te sibi ma-
 trem adsciuerunt, quibus à filio de cru-

cc

ce mater es attributa. Non patiaris filios tuos in æternum perire. Quã Saluator filius ad Patrem vsus est precatione: *Pa-
ter sancte serua eos, quos dedisti mihi, vt sint vnnum, sicut & nos. Quos dedisti mihi, custodiui, & nemo ex iis perit, nisi filius perditionis:* sic eadem ad filium clementissima Mater vtetur oratione, custodiet illa nos, & filio quoque custodiendos committet, nisi peruersa atque obstinata voluntate, filij perditionis esse maluerimus, atque ex eius familia Sodalitateque, agente Satana, nos foras ad tradendum prodendumque filium proripuerimus; quod Iudæ scelus ac parricidium auertat ipsa. Aiebat idem eius filius optimus Pastor: *Oues mea vocem meam audiunt, velut hac nota suum gregem electorum insigniret, in quo & grex eius amantissimæ Matris includitur. Hoc quoque est indiciũ, eas oues ad Christum filium pertinere, obsequi filio, & eius boni Pastoris audire vocem, quòd matris dicto sint audientes. Videre est in numerosissimo ouium grege agniculum dissitæ suæ matris tot inter oues agnoscere balatum, ab eaque*

vi-

*Ioan. 17.
21.*

*Ioan. 10.
27.*

vicissim internosci balantem, ut mox ad matris vbera accurrat, sine alio delectu vel consilio, per eum instinctum, quem illi naturæ Deus auctor impressit. Saluator id electis suis inspirasse, atque hunc diuinum instinctum indidisse videtur agniculis suis, ut ad suam, eandemque communem electorum Matrem, Matrem misericordiæ accurrant, eiusque vbera clementiæ ac beneficentiæ caelestis ambient, sub eius vmbra delitescant, atque in eius prouidentia materna conquiescant. Si quidem in Deiparæ familia manserimus, si Sodales inter ac clientes annumerati fuerimus, ad exitum vsque vitæ in Dei gratia ex Sodalitatis instituto rite peractæ, non intercludetur nobis aditus regni caelestis; si ad Reginam regni caelestis pertinere nos intelligat clauiger Petrus, & de numero eius esse famulorum, paradisi portas non occludet, sed ipse, Dominâ iubente, referabit. Ac tamen si præteritæ vitæ conscientia nos remordeat, tamen si nos pungant aculei criminum nondum penitus expiatorum; tamen

men

men ob Deiparæ Matris honorem ac cultum resipiscentibus eueniet quod Abiathar sacerdoti, cui Salomon: *Equidem* 3. Reg. 2. v. 26. *vir mortis es, sed hodie te non interficiam, quia portasti arcam Dei coram patre meo.* Ita nobiscum clementer aget ob hanc arcam Dei cultam à nobis diuinus Salomon, neq; in Matris æqua ac misericordi petitione faciem auertet. Notissimum est, duos illos fratres diuinis Litteris celebratos, Iacob & Esau, duorum populorum, Iacob electorum, Esau reproborum speciem prætulisse, vt ex Malachia citat Rom. 9. 13. *Apostolus: Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Quod ab Isaac parente, Iacob Rebecca matris consilio & ope primogenituræ benedictionem abstulit, indicabat electos præsidio potissimum Sanctissimæ Matris ad aternæ gloriæ benedictionem peruenturos. Nec obscure Deipara verbis ijs, quæ illi solènter ab Ecclesia accommodantur, ad sese Iacob, id est electos pertinere demonstrat. Eccl. 24. 1. 13. *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo, & dixit mihi, In Iacob inhabita, & in Israel hereditare, & in electis meis mitte radices.* Quot propè verba

verba, tot eius rei, quam tractamus, argumenta. Quis Iacob? nisi luctator, supplantatorq; vitiorum: idem Israel Deum videns, addictus contemplationi rerum diuinarum, cœtus electorum: de quibus sequitur, *In electis meis mitte radices.* eodẽ sensu sunt accipienda: *Et sic in Sion firmata sum, & in ciuitate sanctificata similiter requieui, & in Ierusalem potestas mea.* quæ ad Ecclesiam, & Sodalitatem percommo-
 v.15.
 v.16.
 dè transferuntur. *Et radicaui in populo honorificato, & in parte Dei mei hereditas illius, & in plenitudine sanctorum detentio mea.* Sed nullus sit finis, si omnia colligenda sint, vel è Scriptura, vel è Sanctorum Patrum auctoritatibus argumenta, quæ à pluribus sunt iam deflorata. Finiam hoc caput, egregio Blosij viri sanctissimi testimonio, quod libro, quẽ inscripsit *Dicta Patrum*, inseruit, & sic habet: Planè sub Deo, & Domino nostro Iesu Christo nihil diuinius matre eius intelligi potest. Huius Virginis Matris bonitas, misericordia, pietas, amicitia, benignitas, clementia, fidelitas, beneuolentia, & charitas erga homines tanta est, vt nullis
 verbis

verbis explicari possit. Ipsa in potestate,
 sapiētia, dilectione, & cunctis charisma-
 tibus, donis, perfectionibus & excel-
 lentijs supra omnes creaturas benedicto
 filio suo Redemptori quàm simillima est
 & proxima. Vnde nullum tam execrabi-
 lem peccatorem orbis habet, quem ipsa
 abominetur, & à se repellat, quemque
 dilectissimo nato suo (modò suam pre-
 ceretur opem) non possit, sciat & velit re-
 conciliare. Quamdiu gratiæ tempus a-
 gitur, nequit benignissimos oculos à mi-
 seris & pœnitentibus peccatoribus auer-
 tere: continuas enim pro eis fundit pre-
 ces, vt germana soror, materque fidissi-
 ma curam salutis eorum gerit. *Enimuero
 in aeternum perire non potest, quisquis illam
 deuotè & perseueranter colit atque inuocat.*
 O quantum beneficium tibi præstitit
 Deus, quanto te honore affecit, adde
 quantam salutis tuæ prærogatiuam de-
 dit, qui hanc suam genitricem longè
 pijsimam voluit tuam esse matrem, ad-
 uocatam, adiutricem & consolatricem!